



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ  
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii [u.a.], 1765**

Titulus XXII. De Restitutione Spoliatorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](#)

292 Sect. I. Tit. XXII.

Majestatem, qui in tribunitiam potestate patria potestate utatur? ad hanc iudicationem argumentationes omnes afferri oportebit. &c. &c.

TITULUS XXII.  
DE RESTITUTIONE SPO-  
LIATORUM.

Conf. Lib. II. Decretal. Tit. 13.  
In Sexto Tit. 5.

§. 247.

*Spoliatus* DIXIMUS superiori Titulo, Defensione ante omnia re- nem esse juris naturalis, & ideo stituendus Exceptiones Rei impediri non facile debere. Nihilominus potest quis non nunquam tamdiu a proponenda Excep- tione impediri, donec aliquid praestiterit. Casus frequens est in eo, qui alterum re aut jure aliquo spoliavit, vel possessione dejicit: nam spoliator de hoc spolio conventus, nec ad agendum, nec ad excipiendum circa eandem rem, nec ad reconveniendum admittitur, donec spolium restituerit. Unde regula generalis est: *Spoliatus ante omnia est restituendus.*

§. 248. Spolium hoc dicitur res, qua possessor fuit spoliatus, sive si mobi-

mobilis, sive immobilis, sive jurium nomine contineatur. Spoliatus autem vel dejectus dicitur ille, qui possedit semel, & qualicunque possessione vel quasi, inique est privatus. Exempla talis Spoliationis in Jure Canonico habentur multa. Sic Judex spoliare dicitur, qui de facto, & inverso ordine procedit 19.). Maritus spoliatus dicitur, si uxor ab eo divertit 20.). Mulier spoliata est, quæ a Marito expulsa & domo ejecta est 21.). Spoliatus Beneficio dicitur, qui Beneficio seu juri suo renuntiare per vim, vel inique coactus est 22.). Qui ex redonata annuam pensionem percipit, censetur possidere eam rem per alium; unde ab ejus rei possessione depulsus, censetur Spoliatus 23.). Qui excluduntur ab Electione, cui hactenus interfueret, conqueri possunt de spolio 24.). Qui extra Parochiam, aut locum

T 3

cum

- 
- 19.) C. 7. *De Rest. Spoliat.*  
20.) C. 8. *ibid.*  
21.) C. 10. *ibid.*  
22.) C. 2. & 3. *ibid.*  
23.) C. 9. *ibid.*  
24.) C. 3. *de Caus. poss. & propr.*

294      *Sect. I. Tit. XXII.*

cum electum, Cadaver inferunt, spolium committere dicuntur 25.).

*Spoliatio*      §. 249. Qui se spoliatum dicit, probare debet vel ipsam spoliationem, vel faltem antiquorem possessionem suam; nova enim Adversarii possessio presumitur esse vitiosa vel clandestina: constare igitur debet de priore possessione Actoris Spoliati, & de praesenti Spoliatoris: nam privationem præcedit habitus. Qui itaque possidere non potuit, Spoliatum se dicere nequit, uti si Laicus Spoliatum se diceret possessione Ecclesiaz.

*Restitutio*      §. 250. Spoliatus restitui dicitur, quando rem semel possessam, & dein amissam iterum consequitur. Verbum statum Restitutio eam habet vim & significacionem, ut pristina omnia restituantur, cum Restitutio sit *in pristinum statum repositio*. Unde vi hujus verbi etiam fructus sunt restituendi dejecto, & omne damnum, quod ob eam dejectionem emerserit; pacifica insuper possessio, liberaque, prout dejectionis tempore fuit: tantum enim redere debet Restitutio, quantum sustulit laesio, & ita quidem præcise ac cele-

---

25.) C. 5. & 6. de Sepultur.

celeriter, ut Spoliatus ad Exceptiones pro coloranda Spoliatione ; ad prætensam compensationem , vel reconventionem regulariter respondere nihil teneatur , donec causa Spoliationis plene exhausta sit. Cavendum igitur Actori, ne Exceptionibus petitorum tangentibus respondeat : per tales enim responsiones in aliud judicium se immittendo , censeretur renuntiare actioni Spolii , nec posset porro gaudere summo favore, quem præbet Restitutio Spoliatorum: quamvis nonnunquam attingantur aliqua ad Petitorum pertinentia , tantum obiter sine præjudicio pro informatione Judicis & colorando Possessorio. Hæc intelliguntur , si Spoliatus , rite probato Spolio , in judicio obtineat: nam si Spoliatus condemnetur, poterit conventus agere ad restitutionem Expensarum.

§. 251. Restitutio spoliatorum ple-  
rumque ad Possessorium, nonnunquam plerum-  
etiam ad Petitorium pertinet. Ani- que ad  
madvertendum est , quid respiciant Possesso-  
narrata porrecti libelli, & quibus ver- rium ,  
bis concepta sit ejus Conclusio. Nam  
si res petatur restitui; videtur inten-  
tatum Petitorium : si vero in posses-

T 4 sionem

296 *Sed. I. Tit. XXII.*

sionem mitti , vel manuteneri , vel redintegrari ; censetur motum Possessorum 26. ). Consultum est, ut præsertim in juribus suis tuendis , non facile quis fateatur , se possessione dejectum ; sed potius se in possessione turbatum dicat , & manuteneri postulet , ad quod levior probatio , & summiſſimus procedendi modus sufficit. Si autem Spoliator aperte sit in possessione , Restitutio queritur per aliquod remedium recuperandæ Possessionis , cujus causa Judices olim sunt constituti , quos Recuperatores appellarent antiqui 27. ).

*Remedia  
præbet  
Jus Civi-  
le*

§. 252. Remedia pro recuperanda Possessione præbet Jus Civile & Canonicum. Juvat aliqua enumerare ex Legibus Pandectarum , ex Constitutionibus Imperatorum , & ex Decretalibus Pontificum , ut appareat , quanto odio jura omnia persequantur spoliationem . Ex Jure Civili potissimum est Interdictum Unde vi. Prætor ait : unde tu illum vi dejecisti , aut familia tua dej-

---

26.) MENOCH. de Recuper. Possess. Prae-  
lud. an. 11. & 12.

27.) PETRUS CRINITUS de honesta Di-

dejicit , de eo ... judicium dabo 28.). Hoc intentatur pro recuperanda possessione rerum immobilium, nec aliter extenditur ad res mobiles, quam quatenus ut rerum immobilium accessoria considerantur, & ita in consequentiam quoque de earum restituzione agitur 29.). Pro rebus tamen mobilibus , vel se moventibus recuperandis, alia quædam remedia ad manum sunt: & demum configimus ad Actionem *Vi bonorum raptorum* , in judicio privato intentandam : si cui dolo malo , bominibus coactis , damni quid factum esse dicetur , sive cuius bona rapta esse dicentur , in eum , qui id fecisse dicitur , judicium dabo 30.).

§. 253. Alia Juris Civilis remedia In Pan-  
pro recuperandis rebus suis , nomi- dætis:  
nari solent *Conditiones ex Lege*, plerum-  
que ad declarandum, extendendum, vel

T 5 exaspe-

---

scipl. lib. 9. c. 12. & CAROLUS SIGO-  
NIUS de antiquo jure Civium Rom. lib.  
2. c. 18. ostendunt , præsertim ex Cice-  
rone , pro quibus Causis Recuperatori-  
um Judicium admissum & Recuperato-  
res dati fuerint.

28.) L. 1. ff. de vi & vi armata.

29.) L. 1. §. 6. & L. 3. §. 15. ibid.

30.) L. 2. ff. vi bonor. raptor.

exasperandum Interdictum *Unde vi* concessæ. Talis est *Condicio Indebiti* 31.) : *Condicio Triticaria* 32.) pro omnis rei mobilis & immobilis possessione recuperanda, præterquam quando de pecunia numerata agitur : tunc enim agitur *Certi Conditione*. Utiliter olim inventa fuit hæc actio ratione possessionis rei mobilis, ad quam recuperandam non concedebatur Interdictum *Unde vi*. Nomen suum forsan habet ex eo, quod qui hanc actionem primus sibi dari postulavit, res ei fuerit de æstimando tritico. Item *Condicio ex L. si me & Titium* 32. ff. si cert. petatur. ubi bonum & æquum esse decernitur, rem meam mihi a te reddi, quæ ad te quocunque modo pervenit. Item *Condicio ex L. Creditores* 7. ff. ad Leg. Jul. de vi priv. ubi vim facere dicitur, qui rem sibi debitam sine Judice occupat, & pro in jus Crediti perdere. Ex Decreto MARCI Imperatoris ibi allegato, notatu digna sunt verba hæc: *Cum Marciianus diceret, vim nullam feci: Cesar dixit, tu vim putas esse solum, si homines vul-*

---

31.) De hoc dictum De Jur. rer. Eccl. sect.

IV. §. 375.

32.) L. i. ff. de Condic. Triticar.

vulnerentur? vis est & tunc, quotiens quis id, quod deberi sibi putat, non per Judicem reposcit: non puto autem nec verecundia nec dignitati tuae convenire, quicquam non jure facere. Quisquis igitur probatus mihi fuerit rem ullam debitoris, non ab ipso sibi traditam sine ullo judice temere possidere, eumque sibi jus in eam rem dixisse, jus crediti non habebit 33.).

§. 254. His Pandectarum Legibus Constituta fortiter institerunt Imperatores Christiani, qui suis Constitutionibus in Codice recensitis odium suum contra spoliatores prodebant, extendendo & magis firmando Interdicto Unde vi. Sic CONSTANTINUS Imperator 34.) consulit rebus absentium, & pro iis recuperandis in dominorum absentia admittit eorum amicos, proximos, colonos, etiam servos absque mandato: reduntibus autem vult non officere tempus emensum, quod recuperandæ possessioni Legibus præstitutum est. Idem constituit 35.), ut qui non vi aut dolo malo, sed per errorem aut incuriam domini, possessionem locorum inva-

---

33.) Idem Decretum MARCI Imp. habetur in L. 13. ff. quod met. caus. &c.

34.) In L. 1. C. si per vim vel alio modo &c.  
35.) L. Inv & for. 5. C. Unde vi.

invaserit, loca quidem restituat, sed ponis non subjaceat. GRATIANUS etiam Imperator constituit 36.), ut executionem Rescripti vel Sententiae, vicus spoliato liceret propria autoritate possessionem ingredi, non possit facere nec impetrans Rescriptum, nec Judex, parte altera non citata: *ne inde injuriarum nascatur occasio, unde jura nascuntur.* Novam vim attulit Constitutione VALENTINIANI Imperatoris 37.), qua decernitur, ut si quis possessionem rerum absque autoritate Judicis violenter invaserit, dominus quidem constitutus possessionem, quam abstulit, restituat possessori; si vero alienarum rerum possessionem invasit, non solum rem ipsam, sed etiam estimationem earundem rerum restituere compellatur.

*Impera-  
torum:*

S. 255. Imperatores ARCIUS & HONORIUS, cum pro casu, quo rei animatae possessor spoliaretur, non satis per Edictum Praetoris *Unde vi*, prouisum esse animadverterent, voluerunt 38.), ut si colonus alterve similis ser-

vus

---

36.) L. Meminerint. 6. eod.

37.) L. Si quis in tantam. 7. C. eod.

38.) L. Si coloni. 14. C. de agric. & censit.

vus & adscriptitius fugiendo posseſſo-  
rem sua posſeſſione ſpoliaret, ſpoliatuſ  
ſine cunctatione ad ſuam posſeſſionem  
reſtitueretur, & poſtmodum cauſa o-  
riginis ſeu proprieſtatiſ traſtaretur. Im-  
perator ZENO conſtituit 39.) ut Con-  
ductores alienarum rerum, ſeu aliena-  
na posſeſſionem precario detinenteſ,  
ſeu haſredes eorum, ſi non eam domi-  
niſ recuperare volentibus reſtituerint,  
ſed litem uſque ad diſſinitivam ſen-  
tentiā exſpectaverint, non ſolum rem lo-  
ca tam, ſed etiam aſtimationem ejus vi-  
etrici parti ad ſimilitudinem invaſoriſ  
alienaꝝ posſeſſionis præbere compel-  
lantur. IUſTINIANUS 40.) recuperationem concedit Creditori, amiſſo pi-  
gnore Prætorio, quo cuñque modo pos-  
ſeſſionem amittat. Idem IUſTINIANUS  
41.) providet adverſuſ occupanteſ  
rem vacanteſ, conſtituendo, taleſ pos-  
ſeſſore ut prædonem intelligi:ridicu-  
luſ enim eſſe, dicere vel audire, quod  
per ignorantiam, alienaꝝ rem aliquiſ  
quaſi propriaꝝ occupaverit: debere  
omnes autem ſcire, quod ſuum non eſt,  
hoc

---

39.) L. Conductores. C. Locat. & L. non  
abs re, 10. C. unde vi.

40.) L. ult. C. de Prætor. pignore,

41.) L. ult. C. unde vi.

hoc ad alios modis omnibus pertine-  
re. Alia ejusdem Constitutio 42.)  
providet domino amittenti possessio-  
nem facto & culpa servi, coloni, vel  
alterius cuiusvis: olim autem in amit-  
tenda possessione illorum factum do-  
mino nocebat 43.).

*Et Juris* §. 256. Jus Canonicum ad eundem  
*Pontificii* finem juxta communem opinionem  
præbet duplex remedium. Primum ex  
*Can. Redintegranda.* 3. § 4. III. q. 1. quod  
passim allegant, & tanquam pinguissi-  
mum laudant Advocati Causarum, vi  
cujus possit spoliatus possessione rei  
mobilis, vel immobilis, et si tantum  
colonus, inquilinus, vel detentor fu-  
erit, agere adversus injuste spolian-  
tem, ejus hæredes, & quemcumque,  
etiam bonæ fidei possessorem, & qui-  
dem sine omni præfinitione temporis,  
& cum tanto privilegio, ut neque a  
tertio quodam de ulla alia causa con-  
veniri possit ante plenissimam Restitu-  
tionem. Tantos favores non præfe-  
runt verba Canonum, sed adstruunt  
*Glossatores* tum ad dictos, tum ad a-  
lios similes *Canones* 44.); quam in-  
ter-

---

42.) L. ult. C. de acquir. possess.

43.) L. peregre. §. ult. ff. de acquir. poss.

44.) Ex Causa II. q. 2. depromptos.

terpretationem secuta sunt nonnunquam Tribunalia Romana. Sed hoc remedium ex multorum opinione minime est efficax, tum quod Interpretes, nimios favores per Commenta sua illi tribuant; tum quod dicti Canones ex spuriis Epistolis Pseudo-Isidori, sub nomine Eusebii & Joannis Pontificum exscripti, nullam mereantur autoritatem, uti advertunt, qui veterum Pontificum Epistolas, ac Synodus Romanam sub Symmacho Papa eadem continentem, ab Isidoro relatas examinant. Certe Seculo IV. & V. ordo ille judiciorum, qualis in dictis Epistolis describitur, non erat usitatus in foro Ecclesiastico, nec reperitur in pristinis Canonibus, ad quos se referunt illi Pontifices.

§. 257. Quamvis igitur INNOCENTIUS IV. 45.) dictam doctrinam videatur approbare: nihilominus melioris noræ, & securioris usus est remedium alterum, quod præbet INNOCENTIUS III. 46.), indulgens beneficium restitutioonis contra ipsum Spoliantem, vel tertium malæ fidei possessorem, *cum spolia-*

45.) In C. 1. de Restit. Spoliat. in 6.

46.) In C. s̄epe contingit, 10. de Rest. spol.

liatori quasi succedat in vitium, eo quod non multum intersit quoad periculum anime, injuste detinere, ac invadere alienum. Unde hoc remedium in utroque foro frequentem usum habet. Præter hanc autem Constitutionem, & eidem conformem Decisionem Cap. 2. de ord. cognit. nihil novi reperitur in Jure Canonicō circa Restitutionem Spoliatorum constitutum: sed Pontifices applicant principia Juris Civilis ad casus in foro Ecclesiastico emergentes circa Beneficia Ecclesiastica, Matrimonium & Decimas.

*Hec re-  
media  
contra  
tertium*

S. 258. Controversum tamen est inter Doctores, an beneficium Restitutionis, repudiato etiam Canone Redintegranda, locum non habeat contra tertium singularem bonæ fidei successorem Spoliatoris, saltem ex æquitate & officio Judicis. Aliqui 47.) id admittunt, tum quia α) dejectio violenta vitio reali rem affecit, quod transit ad quemvis possessorem; tum quia β) ex persona successoris non debet deterior redi conditio Spoliati; tum quia γ) salva conscientia, quod alienum &

in-

---

47.) Inter quos est Mevius p. 8. decis. 383.

injuste ademptum possessor reicit, retinere nequit; tum quia δ) successor cum ea conditione rem accipit, qua habuit Autor, nec plus juris sibi arrogare valet; tum quia ε) alia remedia possessoria, & quidem restitutoria contra singularem successorem dantur; tum quod ζ) antiquior possessio potior esse debet; tum quod η) ex alienatione dejectoris, possessorem veterem suo privari valde iniquum fit.

§. 259. Alii vicissim 48.) officium Locum  
Judicis cessare credunt, ubi Leges habere  
in contrarium disponunt: Leges au- non vi-  
tem Juris Civilis & Canonici prohi- dentur.  
bent, ne contra tertium possessorem  
bonæ fidei, remedium recuperandæ  
possessionis detur. α) Vitium rei ad-  
hærens impedit quidem usucaptionem,  
sed actioni spolii, quæ ex delicto nasci-  
tur, non facit locum, cum iniquum fo-  
ret, bonæ fidei possessorem, justo titulo  
munitum inauditum statim possessione  
privandum esse. β) Constat, quanta  
vis sit bonæ fidei possessionis, quæ pos-  
sessorem quasi dominum constituit: un-  
de mirum non est, quod quodammodo  
U dete-

---

48.) Inter hos BÖHMER Jur. Eccel. Prot.  
lib. 2. tit. 13. §. 10. seq.

*De Judiciis.*

deterior fiat conditio prioris possessoris; nam multa fiunt per consequentiam, quæ alias fieri non deberent.  
γ) Non statim alienum dici potest, quod spolio erectum asseritur: potest igitur tertius bonæ fidei possessor salva conscientia rem retinere, donec spoliatus probet dominium. δ) Quod successor plus juris non acquirat, quam habuerit autor, est petitio principii, & in aliis quæstionibus sæpiissime falsum esse dignoscitur. ε) Ab aliis Interdictis restitutoriis in rem scriptis non recte dicitur argumentum ad hunc casum contra apertam Legum dispositionem. ζ) Favor antiquioris possessionis non pertinet ad restitutionem spolii; sed locum habet, ubi duo de possessione contendunt remedio retinendæ possessionis. η) Habet spoliatus multa Juris privilegia; sed ut ex cerebrina quorundam æquitate, alia concedantur, consultum non videtur.

*Restitutio  
fit ante  
omnia.* §. 260. Proprium huic judicio est, ut spoliatus ante omnia restituatur, ita ut nullæ Spoliatoris Exceptiones Petitorium tangentes, aut aliæ judiciorum remoræ admittendæ sint, donec spolium plenissime sit restitutum. Regula hæc partim est odiosa, con-

sider-

siderata scilicet Spoliatoris persona, in cuius poenam sic est sancitum; partim favorabilis, considerata persona Spoliati, ad cuius commodum sic est constitutum: simpliciter tamen potest dici odiosa, cum principaliter consideretur odium spoliatoris: & ideo juxta rigorem iuris etiam praedo ante omnia esset restituendus, nisi notorie esse prædonem constaret.

§. 261. Admittitur tamen I. Exceptio proprietatis, ubi Actor consentit, tuntur tandem vel quando in continenti probari posse. II. Exceptio inhabilitatis ad agendum 49.), quæ tamen debet esse notoria, vel per sententiam declarari, si in instanti probetur. III. Exceptio Consanguinitatis marito opponi potest, a quo uxor discessit, si mox probari possit 50.). IV. Si actor Possessorum & Petitorum cumulat, admittere quoque debet Exceptiones Petitorum respicientes. V. Exceptio deficientis Possessionis, vel quod Actor Possessionis incapax fuerit. Sic opponi posset Exceptio Precarii: liceret enim rem precario datam propria autoritate auffer-

U 2 re

---

49.) C. 7. de Judiciis.

50.) C. 13. de Rest. spoliat. De Restitutio-

re, modo qualitas Precarii non sit turbida , nec altioris indaginis. VI. Exceptio vitiosæ Possessionis, cui jus commune aperte repugnat, ut si Clericus spoliatum se dicat Decimis extra suam Parœciam perceptis ; huic enim perceptioni jus commune resistit §. 1.)

*Alique  
Excepti-  
ones.*

§. 262. Admittitur VII. Exceptio privatæ occupationis in jure permissa; quod sit vel *ex concessione Legis*, ut in Nuntiatione novi operis reali, quoties vicinus in nostro ædificat ; vel *ex concessione testatoris*, qui Legatario concedit jus ingrediendi propria auctoritate; aut Legato adjicit Clausulam constituti possessorii : vel *ex conventione debitoris*; vim enim facere non videtur, qui ex voluntate præcedente debitoris rem occupat. VIII. Exceptio Dfensionis; statim enim vim vi repellere licet. IX Exceptio damni irreparabilis , ut si mulier opponat de infidis vitæ structis X. Exceptio scandali. XI. Admittitur etiam Exceptio spolii, quod Actor in alia causa contra Reum commisit

---

ne Conjugum vid. SANCHEZ lib. 7. de Matrim. Disp. 112. lib. 9. Disp. 4. lib. 10. Disp. 12.

§1.) C. 2. de Rest. spol. in 6.

misit 52.): maxime si sint Causæ con-  
nexæ, etiam lite jam pendente emer-  
gentes. Sic Reus in Causa spolii con-  
demnatus, si pendente Appellatione  
per Judicis vel partis Attentata se aper-  
te gravatum sentiat, potest hoc spo-  
lium opponere, & ulteriore litis per-  
secutionem suspensam credere, donec  
hoc novum spolium fuerit restitutum.  
Unde spolium proponitur non tantum  
per modum Actionis, sed etiam per mo-  
dum Exceptionis, ad eum effectum,  
ut spolio probato, reus non cogatur  
actori respondere, donec sit restitutus.  
Nihilominus rerum privatarum spolia-  
tio, agenti super Ecclesiasticis E. G.  
super Matrimonio, aut jure deciman-  
di, vel e contrario opponi non potest  
53.): nam in spiritualibus & Benefi-  
cialibus sub nullo prætextu conceedi-  
tur viciosus ingressus. Porro quamvis  
communiter in Causis apertæ spoliationis  
violentæ non soleat indulgeri  
Appellatio, Revisio, vel simile reme-  
dium; nihilominus negari id non po-  
test, quando qualitas spoliationis non

U 3

ex

---

52.) Vid. C. 2. & ibi GONZALEZ de ord.  
Cognit.

53.) C. 1. §. 2. de Restit. spol. in 6.

*Causa  
Spolii non  
semper  
est infa-  
mis-*

ex vanis argumentis negatur 54.)  
 §. 263. Demum id advertitur, ex Spolio per se non importari infamiam, sed ex causa ejus; cum non solum dolus malus, sed etiam error aut culpa spolio ansam dare possit 55). Unde potest tale remedium etiam institui contra eos, quibus debetur aliqua reverentia, uti a Vasallo contra Dominum directum Feudi: nihilominus contra tales personas omitti deberet vox *Spoliationis*, ita ut potius videatur institui Actio in factum.

### TITULUS XXIII. DE LITIS PENDENTIA, SE- QUESTRATIONE, ARRE- STATIONE ET RE- PRESALIIS.

*Conf. Lib. II. Decretal. Tit. 16. § 17. In  
Sext. Tit. 8. In Clem. Tit. 5. § 6.*

§. 264.

*Nihil in-  
novan-  
dum*      *Sicut Spoliatio, de qua superiori Ti-  
tulo dictum, summe odiosa est in  
Jure, ita etiam innovationes lite pen-  
dente summopere improbantur, ut  
ordini judiciali debitus locus relinqua-  
tur:*

54.) Vid. D. Baro DE CRAMER Wezlarische Nebenstunden. part. 1. c. 1.

55.) §. 1. Inst. De vi bon. rapt. De Re